DESIDERIA
ERVDITÆ PALLADIS,
Ad vnius Lustri cursum
PROVECTA.
GRATIA
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. CASIMIRI
à ŁVBNA
ŁUBIENSKI
DEI, & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ
Episcopi Chełmensis, Abbatiæ Czervenensis perpetui, ac Sede vacante Episcopatûs Cracoviensis, nec non Ducatûs Severiensis, Generalis, ADMINISTRATORIS;
TOTIVSQVE PERAVGVSTI CAPITVLI CRACOVIENSIS.
VV. XXVIII. Virorum Secundæ Laureæ Candidatorum;
DVM
In Alma Vniversitate Cracoviensi,
PER MAGNIFICVM DOMINVM RECTOREM
Delegatâ Sibi Potestate
à
Perillustri & Reverendissimo Domino,
D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,
I. V. Doctore & Professore, Ecclesiæ Cathedralis Cracov: & Collegiatæ Vieluń: Canonico, Studij Generalis Crac: dignissimo PRocancellario
In Amplissimo Magnorum Hospitum consessu,
Magisterij in Artibus liberalibus & in Phil: Doctoratûs Licentiâ
ritè consequerentur:
Symbolicis votis
EXPRESSA
& in fraterni amoris gratulationisq; contestationem,
A
IOANNE RAPHAELE CZARNAWSKI
CELEBRATA.
Anno Desideratæ salutis 1706. Die 21. Aprilis.

Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ordin: Typogr:

452

In Arma Gentilitia
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
CZERMINSCIANÆ



Hoc CAPVT emerita Patriæ quod fronte laborat,
Arcanum ſuperis & meditatur opus;
Appensô multis vincîtur honoribus Orbe,
Hoc Tituli, hoc Faſces, Inſula, Mitra petunt.
Noſtris propitium Muſis dignetur haberi,
Auſpicium agnoſcent inde venire ſuum.

ILLVSTRISSIMO
& REVERENDISSIMO DOMINO
D. LUCÆ
à CZERMIN
CZERMINSKI
Præposito Vicario in Spiritualibus & Officiali Generali Premysliensi, Gnesnensi, Cracoviensi, Canonico, Abbatiæ Copriunicensis
ADMINISTRATORI:
Domino & Mæcenati Amplissimo.

HOc unum desiderijs nostris intercessit optatissimum: quod Tu, inter vota honorum positus, in mentis ad laureas anhelantis lenimentum, occurreris. Illustrissime & Reverendissime Domine. *Quocunque enim magnitudinem nominis Tui circumducis ubique inter desideria omniũ versaris; illos, postquam maiori famà quàm acceperint, impleveris, ampliora ut Tibi optent, facis. Nam sive Te ab alto Honores prospiciunt, sive Nomina Titulique advertunt,*

 iam

454
iam tantâ virtutis tuæ accẽduntur cupiditate, ut pænè involare in sinum, in humeros descendere, & adhuc de Capite Tuo, de pectore, de manu, dimicare videantur. Amplissimum est de meritis tuis honorum Iudicium, clara illorum de Te cogitatio; quod Premysliæ Eminentem *supra minora, ampla tamen Nomina* Præpositum *statuerint. Diffudit vltra Maiestatem Tuam, & Vicariam Diæcesis totius commisit Curam: quæ non officia præstitit? ut Tu* Officialis: *quæ non vota omnium congessit? ut* Generalis *dicereris. Laboravit Iustitia, & ipsa decreta huc videbatur dirigere, edicta scribere, & omnibus diem dicere, nisi Tu subsellium suum occupares. Sola scelera obniti visa sunt, quibus nulla apud Te conniventia futura erat. Iam primo Iudicio diminuta Capite, integritatem Tuam profitebantur, damnata carceribus, libertatem non arctatam, dissimulatione, ostendebant. Iam verò præter Te, si respicis* CZERMINSCIOS *tales videbis, qualem fama, honor, nosq; Te admiramur. Non coarctabo hîc Scipiones, Camillos, Nomina, quæ partim Polono ab Eridano,* LUBOMIRSCIO *inquam influunt* SRENIAVA, *partim quæ* TARŁOVIANA *effinxit* Ascia, BRANICCIA *peperit* LVCINA. *Sufficiet, si datum rebus Poloniæ Heroa, veluti pertransiens indicabo,* Illustrissimum ac

Excellentissimum CASTELLANUM POŁANECENSEM. *Ille in hostem ducere agmina, armare hyemes, accendere æstatem, à fronte, à tergo, à lateribus instare videtur, auditur, & gloriose sentitur. Putares non Vnum pugnare, sed totam evocatis Majoribus in stipendia cũ* Nepote *suo decertare* Familiam. *Erigam adhuc, supra, ipsîs unionibûs, cariores* Lapides; *encomia. Effingunt Illi duros adamante Heroés, ornant & Infulas; quales uno Capite* Illustrissimi & Reverendissimi BOKUM Episcopi Premysliensis, Nominati Cracoviensis, *Magni in Ecclesia* DEI *& Republica Principis, eminent. Hoc tu Sangvine, hoc Iudicio beatus, quod orbis in æstimatione reposuit. Illud & intima Pontificum admisit Aula, & non tantùm Patrijs venerabilem titulis Roma dimisit, verùm & de suo censu liberalitateq; addidit, quò manifestiùs, in Polonia exterorum Iudicia de Se circumferret. Illud Galliæ Rex Maximus, tàm gratiosè aspexit, ut à tot rerum ingenti serie evocatus, non damnaret oculum, quod huc respiceret. Theologa insedit Caput Istud scientia, probatissima: quia plusquam ad Lydios, Gentilitios inquam* Lapides, *acutioremq; mentem Doctissimi Præsulis examinata. Totius Ille Europæ, Nationum, Gentiumq; mores idiomataq;*

amplexus, omnium linguis oreq; prædicari meretur. Tempus erit cum votis expetitus hunc Vavellum, quo Tu emines, Eminentior, Insulisq; velatus subintrabit: tunc, modo in Nomina Tua exageranda invitatus, per utramq; scriptorum paginam, Antistes nominabitur. Qui Illustrissimarum Gentium Tituli, ambitioso gressu, hoc Nomen subsequerentur! At deducti per tot Lumina, *oratoris oculi, propè everberati, ceu de solis Regia, purpureo igne, adoratis tantùm Magnis Heroibus, & non nominatis succumbunt. Placet fortunam reverens situs; quare composito in magni Nominis cultum stylo & ore, hoc inter mea desideria volvo revolvoq;, ut Tibi majoribus illato Culminibus, minores Tituli discant succumbere. Ita precatur.*

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ.

Humillimus & Obsequentissimus Servus

IOANNES RAPHAEL CZARNAWSKI
Secundæ Laureæ Candidatus,

BEATO IOANNI CANTIO, REGNI POLONIÆ, & Almæ Academiæ Cracovienſis, PRÆSENTISSIMO TVTELARI. Sacræq; Theologiæ Doctori ac Profeſſori.

Vt ſua deſideria coronet & redimiat.

O D E.

DEſcende cælo, vade per æthera,
Multamq; partem pertrahe ſiderum,
Huc cinctus aſtris, huc coruſcis
Scande Pater trabeate flammis.
Te vota noſtri pectoris, & ſacræ
Laurus anhelant, huc age candidos
Currus; & appenſos retarda
Orbe ſuper Cracio jugales.
Soles vocatus currere, vix modò
Se vota adornant, Tu celer occupas
Tardata, præſenti juvasque
Auxilio, medicamque ſæpè
Opem jacenti porrigis. ô Manus!
Quàm magna mundo præſtiteris, Tua
Pallente vultu juſſa captat,
Et tremulo Radamanthus armo,
De puppe triſti littus in alterum
Manes relatos, reddere lumini
Nobisque debet, bile motum
O quoties vacuâ redire,

 Vrnâ

Vrnâ inferorum judicium Deûm,
A fauce in arcem debuit igneam!
Hæc fila quæ rupit protervè,
Heu quoties geminanda ſumpſit
Irata Clotho! ſi lacrymas malis
Audis gementes, gaudia præparas;
Si damna funeſtas vicesque
Damna bonis cumulata reddis,
Vicesque mutas. Iam refluat cavo
De vaſe nectar, cûi miſeræ dolor
Inerret ancillæ, bibatque
Terra novos ſitibunda potus.
Contuſa vaſis fragmina in amphoram,
Vndæ fluentes cæruleo ſuper
Nitore, guſtu abſque in colorem
In ſapidos regerentur hauſtus,.
Sic vota mulces, gaudia ſic ſuis
Votis rependis, jam celeres age
Viſus, & à nobis remotos
Huc oculos Pater Alme flectas.
Huc verte vultum! quô recreas Polos,
Quô noſtra ſpectans climata ſoſpitas,
Quô Numen alterno & ſtupentem
Teque ſoles recreare viſu.
Quodſi benignô proſpicies polô
Ad noſtra Fautor Dive negotia,
Parata jam noſtris Corymbis
Auſpicio meliore vota
Spectabit Orbis. Nil timidæ vices
Sortis valebunt, nulla pericula
Fortuna vibrabit, nec altâ
Sulphureus cadet ignis arce.
Hâc fronde cincti fulmina temnimus,
Si tu favores jungis amabiles,
Iam fata, jam ſortis procellas
Te Duce vincimus & Patrono.

EVCHA-

EVCHARISTICON

Magnifico Perillustri & Reverendiss: Dño

D. M. PETRO PRACZLEWIC

Sacræ Th: Doctori & Professori, Canonico Cathedrali Cracoviensi, Ecclesiarum Collegiatarum SS Omnium Crac: Præposito, Pilecensis Decano, Contubernij Hierosolymitani Provisori, Almæ Vniversitatis Cracov: Generali & Vigilantissimo RECTORI.

Pro Collata sibi Magisterij in Artibus Liberalibus & in Philosophia, Doctoratûs, Licentia:

DICATVM.

ANxia Castalijs fulgent jam vota coronis
Magne Pater; qui scepra regis, cætúsque gubernas
Doctiloquos: Tu laurigeris nova tempora sertis
Exornas, Tu post meritas das præmia curas,
Sudoresque Sacræ detergis munere lauri.
Hactenus hæc intacta stetit, multumque dolebat
Non denudatâ folijs se fronde videre,
Et lustro nutrisse comas, & cernere lustro
Quod suus ardentes in se mutastet amores
Aonij montis custos, & Rector Apollo.
Sed DEus internos sensit sub fronde dolores,
Nè Daphne doleat, rursumque sub arbore pœnam
Agnoscat, Te Musarum moderator & Almi
Dux cætûs, adijt, talesq; à pectore Divo
Effudit voces. Rector mea cura Minervæ,
Lechiadum sublime decus, trinæque coronæ
Nunc ortum lumen, trabeæ lux unica binæ;
Sceptra geris laurosque tenes. Sic præmia dextrâ
Hâc tribuis, quâ Regalem sub lege Minervam
Compescis placidè, Patrio nutuque gubernas.
Pande sinus, dextramque Tuo cum munere tolle;
Stat conscripta cohors, doctisque exercita curis
Expectat virides dignâ jam fronte coronas;
Pande sinus, Tibi cum censu fortuna laborat
Inclinatque caput, flexâ & cervice merentem

Tollit in Iſtuleum faſtu meliore Vavellum;
Pande ſinus, laxaque togam cultusque ſub oſtro
Ardentes, extende manus & carpe virentes
Fronde mea crines, permittas tempora cingi,
Tuque coronatas facias hoc munere mentes.
Si furor armatus nectit poſt bella coronas
Hac de fronde ſibi? veſtrum decus, arma, Gradivum,
Ornabit? quorum verò eſt ad præmia nullus
Vſus erit lauri? mihi conſecratur amoris
Conſcia Divini, hanc ſtudijs ſervire còégi
Non Marti; unde comas carpat qui doctus habetur
Efflagitat; qui colle cupit noſtroque morari,
Stat denſus vertex, ſeſe ſub ſidera volvit:
Sat longas diſperſa arbor deſcendit in vmbras,
Quâ modo parte velis crines decerpere frondi;
Carpe, Tibi pronæ ſternunt ſe ad juſſa Corymbi
Felices hâc ſtrage ſui. Si vertice pones
Qui curat laurum doctà mercede paciſci,
Altior hæc pino Sylvaque videbitur omni,
Carpere ſed noli permiſſa licentia per Te
Alterius curæ poterit, dare præmia fronti,
Suſceptosque ſacra lauro decorare labores.
Sic ſuaſit cecinitque ſuis pro frondibus Augur
Poſt Daphnem mutatam frondis amator Apollo.
Nos Tibi pro tantis Rector digniſsime curis
Sacramus pronos noſtro ſub pectore cenſus;
Hanc laurum quoscunque caput portabit ad uſus;
Illa Tibi, ſemperque ad juſſa Paterna virebit.
Hic liber in noſtras veniet qui traditus ulnas,
Te nobis ſcribendum imponet Teque legendum,
Ille Tuos niſus doctosque adferre labores
Geſtiet, ùt Iagellonias ornare Camænas
Sueviſti ùt vicibus nôſti ſuccurrere rerum,
Et triſtem luctu Patriæ recreare Minervam.
Annulus in dextra tandem ponendus, honora
Sæcula devolvet, gyrum quoque temporis, Orbe
Inde ſuo augebit, longos ut vita per annos
Currat, & in ſeros volet annorum orbita ſoles.
Vive diu, centumque alias ſere vertice laurus;
Nos primi ſub Te facunda ad ſigna vocati,
Imus Palladias ſignis augere catervas;
Duc precor & noſtris faveas Dux Maxime votis.

Peril-

Perillustri & Reverendissimo Domino. 461

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

I. V. Doctori & Professori, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonico, Collegiatarum SS. Omnium Cracov: Archidiacono, Vielunen: Canonico, Almæ Vniversitatis Cracovien: Procancellario Meritissimo.

Quòd desideria eruditæ Palladis votis laureisq; admoverit.

CARMEN VOTIVVM.

HVc ferat omnigenum promptissima gratia pensum,
De cornu spargantur opes, gemmæque placentes
Humanæ sorti, niveo candore rotentur.
Est magno Patri census solvendus amoris.
Quodsi Persarum gazas, & barbara densis
Cum spolijs, quæ Roma tulit, donaria portes,
Vel rapias rubris mundi solatia Lymphis.
Erue Marmaricis & splendida dona cavernis,
Nunquam terrarum censu ditabere tantô,
Quæ radiant templis, insunt quæ numera libris,
Quæque istis & se *jactant* intexta coronis.
Sed Pater absolves dites à munere curas.
Eruimus non caute aurum, non vertice gemmas
Pro lauro, capiti nostro quam imponere tandem
Permittis, sed prona Tuo sacramus amori
Pectora, jam votis excelsa studebimus omnes
Obtestari astra, vt serus mittaris Olympo,
Texe priùs meditata Tuis molimina curis,
Nec cesses similes unquam diducere nisus.
Quidquid enim attollis nova das miracula mundo,
Quæque dabis miranda, iterum mirabitur Orbis.
Cum libris animam mentemque infundere gestis,
Nullus apex hæret, qui Te non tollat in altum
Qui Tibi prolixum non pingat & Orbis amorem.
Vivit in expressis vultu Salomæa figuris,
Et crescit crescente typo, quod gesserat olim,
Vsque gerit. modò se juvenem colludere spectat,

Et modò Regales ſumit trabeas, modò ſummo
Vertice gemmatam ponit Regina coronam;
Iam paulò vultus alios Veſtalis adumbrat,
Nec iam Regali ſe ſpectat imagine; ſceptra
Sub pedibus reptant plantas fortunaque lambit
Ambitioſa ſuis quæ nuper tempora ſertis
Præcinxit, quæ preſſa manu Regale tumebat,
Iam pede conculcata iacet, ſic ludit imago,
Vt ſuevit vanam Salomæa eludere ſortem.
Vidimus è ſylvis medijs & rupe pereſa,
Integros veniſſe Patres, venerandaque membra,
Pendentesque genas à maieſtate ſenili,
His ſtudiis, iterum noſtra ac inviſere ſecla.
Thebaidos nemus ac nigrantis luſtra Canopi,
Obliqui ſpectatores excuſsimus arcti.
Quæ Divis fuerint ſcimus & iura, quis ordo
Cum luctarentur circo virtutis in arcto;
Miramur legimusque & Divis oſcula chartis
Inſerimus. durantia poſt ſcripta altiùs ivit
Conatus, ſtetit uſque ſuis exhauſta medullis
Terra Parens; & quæ medijs ſervaverat ulnis
Marmora, denudâſſe novas debebat in ædes.
Iam ſurgunt cælum, tangentia templa, domusque,
Et turres alto fugiunt ad ſidera faſtu.
Nil hîc ars humilis ſparſit, collecta decorum
Se ſeries ſpectanda offert, ſive artis honoræ
Cernis opus, ſive ingenii, certavit utrumque,
Nec natura pares Cilicum ſub vere colores
Pingit, nec Floræ ſacris ſuſpendit in hortis,
Hîc ars naturæ, vicit miracula, partim
Correxit, partimque novas immiſcuit umbras.
Heu quæ ſe inſtaurant famæ monumenta futuræ!
Pro geſtis factisque hæc tantùm vota ſuperſunt:
O ſuperi hoc pignus terris ſervate benigni!
Quæ finit, finita locet, quæ cepit in ortu,
Non linquat. niſus non impia fata morentur,
Sed faciles reſerent maiora ad facta paratus!
Iam licèt emeritum rapuit nox invida lumen,
Quòd ſi Parca manus vitæ non inſerit, ingens
Eſt ordo rerum quem in Te ſpectare meretur.

Clarissimis, Excellentissimis & Admodùm Reverendis Dominis
DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino

D. M. MATTHIÆ IAGIELSKI,

Philosophiæ Doct: Regio Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum, Collegiatæ S. Annæ Crac: Canonico, in Cerekiew Curato, ac interea Artisticæ facultatis DECANO.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO BIELECKI,

Sacræ Theologiæ Baccalaureo, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ S. Annæ Cracov: Scholastico, in Xiążnice Curato.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. SAMVELI PODGVRSKI,

Philosophiæ Doctori, Regio Professori, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ S. Annæ Cracov: Canonico, Curato in Ośiek, S. R. M. S. Notario Apostolico:

Pro suscepto labore circa probandā Indolē uniuscujusq;, circaq; desideria ad capessēdas laureas

GRATITVDO LYRICA.

LAudum silentes sume lubentiùs
Apollo Nervos? fixa sub arido
Testudo in unco, iam nec uno
Pulvere deperitura pendet.
Silesnè docti carminis Entheo
Instante? nec tristem excuties Chelyn?
Huc ferte nervos, plectra, sistrum,
Vt cecinit lyra tacta, dudum est.
Tempus tacentem pollice fervido,
Ad iura vocis cogere barbitum,
Ter tacta, ter correcta buxus
Incipiat resonare facta,

Trium Virorum. Mæonium fave
Melos, ſtat ingens ordo laboribus
Factisque nexus, quem ſonorâ
Hic iuvat accumulare laude;
Primus DECANI murice ſplendidus
Venit IAGIELSKI, cûi trabeæ nitor
Inſertus, illuſtres repoſcit
Cum titulis ſociare ſoles:
Quò tantùm acuti vis genij ruit,
Refert triumphos, ſcandere ſi placet
In roſtra Templorum DEûMque,
Creſcit honor, rutilatque plauſu
Nomen ſecundo. Gratius eſt Tuo
Nil ore. Magni voluere pondera,
Sermonis es doctus, ſacrumque,
Eloquium gravitate nôſti
Ornare pulchra, jam Cracij ſtupent
Hoc os Penates, Gneſna tenacibus
Servat medullis, in ſinuque
Verba Tui numerat laboris.
Iunxere tantis dotibus intimos
Arcana ſenſus, quæ ſophicis litas
Curis Profeſſor, parte cenſus
Stant alia radijsque geſta
Stipant honores. Parte ſed altera
Surgit BIELECKI, ſuadæ honor inclytus,
Quem Flora diſtinguit venuſtè,
Et variat proba verba gemmis.
Sublime rerum ſe cumulat genus
Per dicta. Reges Hic toties ſuo
Laudare permiſſus cothurno,
Non humili ruit ore, Regum
Sed culmen æquô vel tetigit ſonô,
Vel major ipſis & ſolijs ijt,
Vltra coronas ſceptraque ultra
Grandiloquâ ſtetit Ille pennâ.
Quot verba fudit, tot radios ſtylo
Inſperſit, aurum non Lybica latet
Sic rupe, cêu ſenſu profundo
Hîc pretium latet omne in Iſto.
Regina Cæli Diva ſcientia
Avellit Illum à munere Tullij,
Hoc ore laudari hocque ſenſus
Cæligeros cupit in reclinem

Vibrare terram. Vertit & in Tuos
Plectrum paratus o SAMVEL, Tibi
Lusisse promptus qui camænæ
Fatidicâ caluisse flammâ,
Et fonte doctam Mæonio sitim
Potasse ferris. Si Lechico sacras
Nuptasque tædas, si Quirinô
Facta Ducum celebrare metrô,
Vates rotâsti pectore, carmina
Ivêre vasta non sinè gloria,
Musisque, Musarum & iuventæ,
Et pueris geminanda restant.
Infers arenis doctiloquus pedem?
Fervent profundi iurgia consiliî,
Trophæa iam linguæ togatæ
Stant mediis redimita palmis.
Te rostra sacri culminis efferunt,
Te scripta cultis elogiis palàm
Famæ susurrant concinendum,
Te his poteris celebrare rectè;
Ignosce Musis. O Sacra Nomina
O fulcra rebus Palladiis data,
Quâ fronde lauri, quâ Corymbi
Cingitis emeritos labores?
Hæc prona vestris nominibus iacit
Florens cacumen, nectit & herbidos
Cultus, & excelsum decorem
Obsequiis stimulata ponit.
Tempus sed orsos ponere barbiti
Cantus, quiescat lassa sono Chelys,
Sat magna tentavit, remissis
Iam maneat tacitura filis.

466

DESIDERIA
Eruditæ Palladis,
In VV. Viris Secundæ Laureæ Candidatis
EXPRESSA.

I. V. D. STANISLAVS FRANCISCVS BROSZKOWSKI Senior Scholæ S. Stephani.

Stemma nullâ, sed meri- possidet cum Lemmate.



Acervum Cerere tis refertum

Implebit honor.

Non Tibi BROSZKOWSKI ſtat meſſe refertus ACERVUS,
Aſt implent vacuum munera docta locum,
Nulla Ceres nec Flora tulit collecta manîplos,
Contulit aſt lauros Diva Minerva ſuas;
Et parat illuſtres honor huc conferre decores,
Dicite? nonne ſatis plenus Acervus erit.

II. V. D. IOANNES CASIMIRVS IODŁOWSKI

Soleam Sagittâ directâ, Avitum cum Lemmate



transfix m, ſurſumq; ſtemma recenſet.

Tuttor alta premet.

Curre

CVrre viam IODIOWSKI Te cincture Corymbis,
Hoc Superare potes nam soleatus, iter.
Tu poteris Pindi poteris fastigia Tullî
Tangere, quod posis, prompta Sagitta facit,
Nec solùm docti montis juga sacra capesses,
Pressuro alta Tibi culmina sternet honor.

III. V. D. ANDREAS IARONSKI

Insigne *Lilium; binis desuper*
Sagitiis arma- *tum, retinet.*
cnm Lemmate *Vis ornata.*



Illia vernanti quæ se candore repandunt,
IARONSCII cupiunt cingere flore caput.
Hoc genij cultus hoc facunda ora merentur,
Hoc vertex meritis poscit habere suis.
Si quis adhuc cultæ non spectat mentis acumen,
Illud summa petens bina sagitta notat.

IV. V. D. MATTHIAS ZIĘTKIEWICZ Leop:

StemmaGentilitium *Leonem, coronam*
Lauream, annu- *lumq; tenentem,*
supra verticem, *Stellam lucentem,*
pro decore usur- *pat.*
cum inscriptione *Ardentes animos cælum terraq; coronāt*



Cerne LEONINAS irato pectore flammas
Et videas fronti, lumen adesse feræ.
Ingeniô similes ignes, doctasque Minervæ
In ZIĘTKIEWICIJ pectore crede faces.
Inde polus laurusque sibi devincit amore
Annulus & gemmis hoc caput atque manus.

V.

V. V. D. VALENTINVS TVSZOWSKI,

Stemma *Pelicanum, amoris*
Symbolum Hic *appendit,*
cum Lemmate; *Amat ut ametur.*



POscit amor quali se posset imagine verum
Cernere, sed pingit Te PELICANE sibi.
Iam volucris, rari vim propter amoris, amatur,
Iam Regum digna est pectore digna DEûM.
Te Te TUSZOWSKI certi amplectentur amores,
Post volucrem ipse pio dignus amore coli.

VI. V. D. FRANCISCVS KALEWSKI,

Insigne, Turrim, *(in cuius aditu*
bina Sceptra excu- *bant) ornamento*
virtutis suæ erigit.
cum Inscriptione. *Sola huc fortuna*
subintret.



SI Dea victrices Pallas disponit arenas,
Gaudet Doctorum, & bella ciere Virûm?
Hæc TURRIS doctæ fiet tutela Minervæ,
Otia, nec ponet segnitiesque gradum.
Pellent SCEPTRA nefas terrarum sola KALEVIî
Vt pateant titulis limina, pande fores.

VII. V. D. GREGORIVS STANISLAVS BARSZCZEWIC,

Stemma, Crucem
ronatam, gladio,
tanquam de cælo
tem ostendit.

cum Lemmate:



Annulo desuper co-
laureaq; triumphali
imminentibus, fulgen

Et quô se ornet habet
quô tueatur habet:

VIctores tituli & fulgenria signa triumphis
Doctrinæ cedant Stanisilae Tuæ.
Hîc Gladius, Crux hîc, volvit se hîc Annulus orbe,
Quæ super à Cælo laurea docta viret.
Iam BARSZCZEWICIO præsens fortuna laboret
Hanc quo stringat habet, quo tueatur habet.

VIII. V. D. CASIMIRVS RELEZYNSKI,

Stemma, Obeliscum,
Sagittâ, cum Annulo
insidet,

cum Lemmate



cui Avis transfixa
è rostro eminente,
erigit.

Nil humile.

STat solidè, lambitque & vertice summa COLOSSUS
Hanc super, alta Ales pectore tela gerit.
Annulus extremo se vibrat ab Alitis ore,
Non humiles talis pingit imago notas!
Videris in RELEZYNSKI si munera mentis,
Nil humile & reptans, omnia culmen habent.

410.

IX. V. D. CASIMIRVS SIENKIEWICZ,



Insigne Gentilitium
tutis sua & gentilitia-
ditione incrementa,
gittis transfixum,

cum Inscriptione:

In ornamentum vir-
laudis: maiora ex eru
Cygnum tribus Sa-
ponit.

Ferent Te ad side-
ra Cygni.

EST moriens, vivit CYGNUS, sunt pectore tela,
Tela tamen Cygno nulla nocere valent.
Dicere iam possum fixus quod vulnere, dulcem
Iam Pæana suus promere discit Olor.
Hoc SIENKIEWICIJ Carmen virtutibus ille
Pandit. Te referam in sidera, Teque canam.

X. V. D. IOSEPHVS WENTOWICZ,



Stemma:
nificentiæ benefici
Lilium, stellamq;
cum Lemmate

Supra Petram, mu-
tisq; gratificaturus,
ferit & accendit.

Altius & virtus &
Cynosura favet.

VErtice se Rupes tollit, sed pulchrior illo
Flos est, excelsus quo redimitur apex.
Sidera collucent, panditque & STELLA favores,
Sceptrigerique favet mens peracuta Iovis.
Claros WENTOWICZ resplendentesque decores
Speres, sic spondent Lilia sicque Polus.

XI.

XI. V. D. MARTINVS METECKI,



Stemma, folijs, & colore, à ducto, conspicuam

cum Lemmate:

Rosam explicatam dotibus eruditioneq; exponit.

Dabit virtus & fortuna colorem

EST bene? quod virtus Roseos Tibi lêgit honores,
His & METECKI Te redimire cupit.
Aptè quàm lusit! mores studiumque Rosarum,
Et vultus, in Te composuere decus.
Flores mente genisque simul, quis symbola tanta
Ferre neget? quænam promere Flora Rosas.

XII. V. D. ANDREAS PALIKOWSKI,



Insigne, las locatam, fato-opportunam, tenet.

cum Inscriptione:

Anchoram inter stellarum tempestatibus

Tutus eris.

SI Fortuna suas tradet mansueta carinas,
Et sinet in longo pandere uela mari;
Nè timeas PALIKOWI Te credere ventis,
Et non horrescas ut Palinurus aquas.
Neptunum ut vincas præsens est Anchora, præsens;
Quæ præbet flammas & Cynosura micat.

XIII. V. D. STANISLAVS MOTTELLOWSKI, Vstie:

472

Stemma, Lilium
altera Crucem
gerit.

cum Lemmate:



una à parte,
virtutis suæ decus

sibi iungit tutela
decus.

ORnant Te Vstensis Papenkoviique decores,
Dantque simul proprium Lilia juncta decus.
Egregios cultus mentemque ex indole tractam,
Attollunt Divæ sacra trophæa Crucis.
Macte animis; altos & perge capessere nisus,
Te dotes sursum, Te jubet ire favor.

XIV. V. D. ANDREAS BARANKIEWICZ, Crac:

Stemma Lunam
micantem, suæ

cum Lemmate.



inter duas Stellas
eruditioni accendit-

Statio hic est nulla
tenebris.

LVmen LATONÆ medijs in cornibus Astrum
Stringit, & alternum sidera, sidus habent,
Pænè huc confluxit cælum, quod nocte videtur,
Sed nocte hâc non est clarior ulla dies.
Resplendent, BARANKOVij dotesque laborque,
Sic nocturna suas non habet umbra vices.

XV. V. D. ANDREAS TVCY Crac:

Inſigne Avitum, Stellis ſtipata, cum Inſcriptione.



Lilia terna, ſeptem gerit: Stat cum luce decus.

ORdine ſtat Chloris, nitidi ſtant LILIA vultus,
Lucent quâque ſolet gemma nitere nive.
Forſan ut albentes ſpectarent Aſtra colores,
Huc abduxerunt ſidera multa polo.
Spectent Aſtra illos, virtus ſed TUCCIA, circum
Aſtra tenet, circum LILIA trina tenet.

XVI. V. D. IOANNES WVIOWSKI,

Stemma: Enſem botris obductum, erigit: cum Lemmate:



Nulla ſinè eſt victoria cenſu.

BRomius exciſus Patris de vulnere, Solem
Vidit & occluſas extulit ille manus;
Sic amat & Gladium Numen, qno vindice natum,
Hunc medio ut Patrem ſtringit ad uſque ſinu.
Noſce Tuas dotes WUIOWI noſce labores,
Illos nam laurus doctaque Pallas amat.

474 XVII. V. D. MELCHIOR KICINSKI,

Stemma, Manum cristam tenentem repræsentat.



cum Lemmate: Ornamenta labore Obveniunt.

HÆc Manus erectas iactat sub Sidera Cristas,
Armata est fortis signa laboris habet.
Hæc poterit non tantùm stringere Syrma coruscum,
Sed fasces superûm signa rotare DEÛM.
Admittat laurum KICINSKI, & vertice ponat:
SYrma manum ornabit, laurea docta caput.

XVIII. V. D. GEORGIVS KOSTOWSKI,

Insigne Gentilitium: Semilunam habet in medio cuius Sagitta ponitur, Corusca sideris, stellæ aceendunt,



cum inscriptione: Omni ex parte coruscus

REgales fasces, STELLæ, LUCINA, SAGITTæ,
Concurrunt unô munera tanta locô.
KOSTOVij ingenium sic præmia multa meretur,
Et densa laudum dote nitere cupit.
Vt sunt illustres dotes, sic LUNA coruscat,
Vt summæ sunt sic seque SAGITTA vibrat.

XIX.

XIX. V. D. MICHAEL PRVSKI.



Stemma: Cruce tenet, Lunam cum sesqui.

cum Lemmate: Plena laboribus est & plena decoribus.

NOn pleno vultu se se Lucina revolvat,
Et frangat radijs cornua, Luna suis.
Crux quidquid sidus proprio defecit in igne.
Implebit vacui lumina flexa loci.
Sic Pruski totam faciem quæ Luna negavit,
Hæc meritis ibit cum Cruce plena Tuis.

XXI. V. D! MATTHÆVS KOLĘDOWICZ



Stemma: Stellas vtraque Cor rosis vernans ex parte accendit.

cum Lemmate: Ardet amari.

TE Pallas, Te Flora suis complectitur vlnis,
Clare Kolędovi Sidere, clare Rosis.
Es post Palladias curas jam dignus amari,
Dignus es & Flores dignus habere polos.
Te cupient semper tituli, Te serta, coronæ,
Quod cuperis, faciunt Sidera, Corda, Rosæ.

XXII. V. D. VENCESLAVS PANISZEWIC

Insigne: Soleam, alite annu- lum tenente, & Cruce impletam gerit, cum Lemmate: Summis incumbere natus



SI tellure pedem pones si summa tenebis
Nè timeas, SoLea est, est VoLucRisq; Tibi,
Tutamen CRux sacra micat, dependet ab ore
Annulus, ut signet tutus honoris Opes.
PANisiuM fortuna tenet, VoLucRisq? laborat
Ferre supra, ut Solea in culmina ducat adest.

XXIII. V. D. STANISLAVS CIOTVSKI.

Stemma Avitum Clavim, primum insi- gne post diluvium, quia Noe usurpatum, habet. cum Lemmate: Cuncta patebunt.



QVòd patuere Tibi reserati limina Templi,
Condit ubi sophicas Pallas; alacris opes,
Præstitit id CLAvis Patrijs circumlita Ceris,
Fortunæ ad largas mox præitura fores;
CioTusKI molire vias, gressusque capesse;
Claudi non poterit, quisque patebit honor.

XXIV. V. D. SIMON ANTONIVS IĘDRYCHOWSKI,

Stemma tribus Rosis ex se dum locat.

cum Lemmate,



Cor sagitta transfixum pullulantibus flori-

Poterit marcescere nunquam.

NOn steriles animos virtus gerit: illa repandit
Fructûs & medio crescere Corde jubet.
Fixa licet rubeant immisso vulnera telo.
Illos stillanti sanguine vulnus alit.
Iam IĘDRYCHOWSKI primo vivente decorus
Deposcet semper munera viva sibi.

XXV. V. D. IOANNES GAŁCZYNSKI,

Insigne
be suo continentem,
Bireto Doctorali

cum inscriptione



Annulum palmas or
intra, librum cum
ostendit.

Desponsata vigebunt

DOctis GAŁCZYNSKI postquam se addixit arenis
Laurum vernantem, poscit habere Librum
Nil poterat melius docto florere Lycæo
Quàm Mitræ, Lauri, quàmque nitere Liber,
Hos stabiles posset tandem vt retinere decores
Annulus, & splendens Gemma ligare student.

XXVI. V. D. MARTINVS SZVMLINSKI,

470

Stemma sagittâ prodeunte manus in cælum cum Lemmate:



Medium Annulum erectum supra manus versas tenet: Ad alta feruntur.

ANnulus alternum fulget diſſectus in orbem
Pro lapide in cælum ferrea tela volant,
Tam ſe ſumma levant! ſed telis altiùs ipſis
Attrahit in palmas ſidera, bina manus,
Szumlinski meritis clarus factisq; venuſtus,
Hac poterit tolli culmina in alta manu.

XXVII. V. D. HYACINTHVS GRYMECKI,

Stemmâ ... in excubias cum Lemmate



Gryphem aureo mondatam, ponit. Excubijs pretioſa vigent.

GRyphs lapides gemmasq; ſatum cuſtodit & aurum
Quod condit Lybici viſcere Pluto jugi:
Grymecki pretijs docto quæ pectore ſervas,
Eſt data tutelæ fida ſatelles avis.
Nec tantum ſortis dextram propellet avaram
Culminibus meritum prompta miniſtra feret.

XXVIII. V. D. IACOBVS SCIGALSKI,

Insigne: Coronam auream erigit, e cuius ambitu Lilia prorumpunt cum Inscriptione: Dona laboris honor.



QVæ posuit gemmis fulgentes Iuno Coronas,
Candida quæ in medium LiLia Flora tulit:
His decus annectit Pallas nam serta reponit,
Quæ Musæ, quæque nectit Apollo Deus.
Tot superûm collecta SCIGALSKI dona sequuntur
His comes addetur mox secuturus honor.

XX. V. D. IOANNI RAPHAELI CZARNAWSKI,

Secundæ Laureæ Candidato
Authori Operis,
Stemma Rosam tribus ferramentis aratri armatam
V. D. IOANNES CASIMIRVS IODŁOWSKI
ejusdem Laureæ Candidatus
nectit.

cum Lemmate: Cultura ingenij



PVlchra Tuos CZARNAWSKI apparet cura labores
Quod tenet, id signant tela globata Rosis
Et faciunt manifesta fidem data carmina, quanta
Curarum vigeant pectora plena vice,

Excole ſuſcepto mentis modò munera niſu
In Te honor & Pallas florida ſerta ſerent.

Eidem Authori Operis,

V. D. MARTINVS METECKI,
eiusdem Laureæ Candidatus
Oden Poëticis laboribus gratificantem
OFFERT,

APollo laudes nectat amabiles,
Et Muſa longo carmine Numini
Applaudat, & nervis & apto
Ore juvet geminare cantus.
Appenſa noſtris metra laboribus,
Et nexa culto pollice laurea,
Hinc inde Phæbeæ requirunt
Symbola conſociata frondi.
Vt Te ſonoris & Cytharis canat
Laus, ut refuſo murmure præferat
Te fama CZARNAWSKI diſertè
Orbe Tuas poſitura laudes.
Dici mereris? ſic probitas jubet
Sic docta ſuadæ gratia, quâ ſacras
Implêſſe laudaris Cathedras
Et genio recreâſſe denſam
Es viſus aurem. Nil humilîs Tuo
Ex ore fuſum eſt, grandia dulcior
Suada elaboravit, vigetque
Diva Tuâ CATHARINA voce.
Et pugnam Amazon Cæſare cum fero
Init, Tu adurges prælia, Tu rotam
Plenam cruentis & triumphis
Ore roſas, niveique potas
Fluenta colli. Volvat amabiles
Iam Muſa voces, nectat Apollinis
Iam dextra lauros, digna culto hæc
Tempora ſunt varianda ſerto.

Permiſſu
MAGNIFICI DOMINI
RECTORIS.